

Magnus ferm. 97. ex Eccli. 18. 30. Julianus Pomerius de vita Contemplativa l. 1. c. 8. Salvianus ad Ecclesiam Cathol. l. 3. alique plures de autoritate hujus Libri ne ambigentes quidem.

Accedit consensus Ecclesiarum Galliarum & Germaniarum in Concilio Francfordienfi coeuntium (\*), Hispaniarum in Concilio Toletano VIII. can. 9. ex Eccli. 29. 1. Orient.

## DISSERTATIO DE FUNERIBUS ET SEPULTURIS Hebræorum.

**Q**Uæcumque politiores gentes nihil unquam habuerunt antiquius, quam ut mortuorum sepulturas curarent. Hanc tantum curam solæ mortalium gentes quædam barbaræ, uti Scythæ, Thraces & Hircani, unâ cum humanitate ipsa exuerunt. Cæterum Hebræis adeo res cordi fuit, ut nullis per Orbem populis neque Aegyptiis, omnium superstitionissimis, concederent. Ad id officii tum plura utrosque illos populos impellebant, cum illud potissimum, quod de animæ immortalitate recta sentirent (a). Animas, ait Tacitus Annal. c. 5. de Judæis, prælio aut suppliciiis peremptorum æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Condendo in tumulum corpori Saræ uxoris suæ Abraham duplicem speluncam, ut sibi etiam suisque locus maneret, soluto pretio emit. Fratres suos Joseph obtestabatur, ut ex Aegypto secedentes, unâ secum in Terram Promissionis cineres suos deferrent (b). Amplissimorum virorum, & illustrium foeminarum sepulchra sedulo in S. Scriptura notantur; in qua pariter ultimi supplicii loco privandi impij honore sepulchri denunciantur (c). Mortuorum luctus & sepulturam curare, sicut & dapes ad tumulos afferre, potissima erat piorum hominum occupatio (d).

Vix animam efflaverat quisquam, statim res omnes & utensilia ejus cubiculi labem quandam contrahebant, non nisi post septem dies eluendam (e). Idem & cum iis servatum, qui cadaver, vel sepulchrum, sive ossa aliqua defuncti contigissent. Hic autem expiationis ritus. Assumptum aliquid cineris vaccæ rufæ die expiationis solemnissimum à Summo Sacerdote immolatur, in vas aquâ plenum injiciebatur. Hac deinde aquâ intincto hyssopo à viro mundo aspergebantur cubiculum, utensilia, & quicquid aliud maculam contraxisset. Staret erant huic cæremoniæ dies tertia & septima; cujus postremæ diei expiatione peractâ, balneo omnia eluebantur.

talium in Concilio Ephesino ad. 7. in Ep. Synod. ad Synod. Pamphiliæ; quæ omnes veluti canonicum Opus, ac pariter cum reliquis Scripturis autoritatis laudant. Tandem Concilium Tridentinum Sess. 4. in Canonem Scripturarum hunc Librum adlegit, omni perplexitate submotâ, quæ animos quorundam de nonnullis Veterum testimonij detinebat.

tur, quæ vir pollutus, quæ ejus vestes; post hæc pura omnia. Ex Rabbiorum doctrina labes de mortuo tunc demum contrahebatur, cum defunctus ex Judæis esset (f); Pagani enim, inquit, superstites quidem, accedentes ad se omnes inquinant; post obitum puri ipsi nihil contingitibus labis inferunt; cum vicissim Israelitæ superstites odorem puritatis exhalent, quo per nares sanctitas insinatur; defunctorum verd cadavera, quod Spiritus Sancti unâ cum anima avolantis tabernaculo privata sint, nonnisi corruptionem spirant & tabem. Sexcenta hujus corporis venditant de eodem argumento Judæorum Doctores, quæ frivola sunt maxime & inutilia; cum post Templi eversionem hæc cæremoniæ omnes apud Judæos obsoleverint (g).

De funerum apparatu ritumque paucula Scriptura, plurima Rabbini (h). Graviter decumbens Israelita coram decem viris & Rabbino ad id accitis crimina sua confitetur, cujus confessionis formula rudibus & indoctis alphabetico ordine digesta est, singulis alphabeti literis singula & frequentiora crimina continentibus. Doctores per se vitæ suæ crimina, non de scripto, recitant, eâ planè disciplinâ quæ apud nos servatur. Fidei quædam professio abegrotato exigitur; exquiruntque potissimum, num venturum Messiam expectet; tum, æger Deum rogat, ut corporis & animæ sibi valetudinem restituat, quemadmodum olim Ezechia (i); postea autem se, addit, siquidem hora suprema jam venerit, ut crimina quæ toto vitæ decursu sive prudenti sive imprudenti obreperunt, morte ipsâ eluantur. Orationem demum claudens, concedi sibi postulat locum in Paradiso, & in sæculo futuro sedem, quæ Justis reservatur, sicut & tutum ad vitam æternam iter demonstrari. Post absolutam hujus precationis formulam, amici Synagogam petentes, pro ipso, sed alio obento nomine, Deum rogant, eo veluti indicio insinuantes, in alterum illum virum, priori vitæ reformatâ, transisse.

Viris religionis sive literaturæ famâ insigni-

f Vide Jo. Nicolai de Sepulchris. Hebr. l. 3. c. 3. Basnag. Histor. Jud. l. 7. c. 25. Gal. l. 2.

g Vide Leo. Moden. Cærem. Jud. p. 1. c. 8. h Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 35. & Leon. Moden. p. 5. c. 8. Basnag. Hist. Jud. to. 5. l. 7. c. 24.

i 4. Reg. 22. 20.

signibus supremum spiritum acturis affluere in religionis partem ducunt, sperantes inde sibi sanctitatis plurimum proveniaturum, juxta illud Ps. 48. 11. Non videbit interitum, cum viderit Sapientes morientes. Nihil hic detortam explicationem moramur, contenti Judæorum ritus exponere. Sunt qui morientes osculantur, quasi ultimos halitus excepturi; quod è veteri more petiitum esse intelligimus ex Philone Jacob inducente, in argumentum lucidius pro inopinato de Joseph obitu nuncio, id sibi in memoriam revocantem, nempe nec decedentis oculos clausisse se, nec suprema dedisse oscula (k). Sunt qui hunc sensum exponant illud Deuter. 34. 5. Mortuus est Moyses jubente Domino, vel juxta Hebræum, juxta os Domini, nempe in osculo Domini: ita, inquam, exponant, quasi Deus supremo hoc humanitatis officio dignari amicum & in osculo ejus animam excipere voluerit. Joseph defuncto jam patri supremum osculum imprestit (l). Nihil eo more apud Paganos familiarius; supremum decedentium spiritum osculo legebant; supremosque excipiebant spiritus in signum amoris & charitatis (m).

k Philo de Joseph.

l Gen. 50. 1.

m Statius.

n Dionys. Areop. Hierarch. Eccles. c. 7.

o Buxtorf. Synag. Jud. c. 35.

Hærentemque animam non tristis in ora maris

Transulit.

Eadem mortuos osculandi cæremonia olim ad Christianos, ne Sacerdotibus quidem, exceptis, derivata (n); quod deinde Concilii Antiocheni can. 12. sanctione vetitum est. Egre dientem iam animam adstantes scissione vestium prosequuntur, quæ olim sinceræ doloris significatio, hodie vero mera est cæremonia, cum & pretiosioribus vestibus sedulo parcere curent, & innum vestium limbum ad latitudinem circiter palmæ scindant. Ex Rabbiorum verd doctrinâ scissionem illam in obitu extranei post 30. dies facere licet; in obitu sanguinei proximioris nunquam licet. E veteri consuetudine receptum tenent, omnem, quæ forte in domo fuerit, aquam, in vicinia effundi, sive eam significationem intimi doloris exhibentes, sive eo indicio de obitu alicujus datâ, vicinos ad lacrymas provocaturi. Rabbini tamen docent (o), contractum ab ea aqua virus, quod Angeli interfectoris gladium eluerit; hinc, ne cui noceat, projicitur. De Angelo mortis sermo est in Græco Job cap. 20. 15. & 23. 23. 24. & nos fusiis agemus in Dissertatione de eade exercitus Senacherib.

His peractis, solum panno infernuntur, depositique super illud cadaveris os sudario obducitur; neque enim defuncti vultum aspicere fas est. Causam addunt hujus cæremoniæ, ne scilicet longioris inedia, & durioris vitæ malis extenuata egenorum facies ob adstantes magis confundatur. Dein pollex manus interius replicatur, quem sicut cum rigentes digiti agere patiantur, filaminibus quibusdam è flocco Taled ejusdem defuncti continentur; sic autem coactus pollex figuram aliquam nominis Sadi-

Dissert. Calmet. Tom. I.

dai reddit. Reliqui digiti, præter pollicem, manent extenti rigentesque, quod scilicet, inquit Rabbini, documento sint, homines, cum satis cedunt, omnia simul deferere; cum vicissim infantes stricto pugno nascantur, ut eo naturæ magisterio discamus ingredi illos terram in possessionem divitiarum omnium à Deo immisos. Incenditur cereus, sive lucerna, & ad pedes, sive ad caput defuncti, quandiu in terra jacet, apponitur; neque enim idem est omnibus Hebræis in ea re usus. Ratio hujus cæremoniæ portentosa. In Collatione habita cum Judæis coram Pontifice anno 1412. accusantur, quod incendendum cereum illum crediderint, ut viam monstret animæ pristinum corporis domicilium queritanti; fiet enim facilius, ut lumini ductu rectâ ad illud ducantur (p), si alioqui dispositæ sint ad ejus ingressum. Reponebant tamen Judæi, eam à se calumniam amoventes; id enim fieri se dicebant, ut fortilegorum absurdas opiniones riderent, aut tantum ex incenso coram defuncto cereo separatam à corpore animam vehementer torqueri.

Secundum hæc, calenti aquâ, in qua herba odorata, & aromata, corpus abluitur, quæ sanè consuetudo apud Judæos vetustissima (q), Paganos ipsos non latuit. Ad foeminas plerumque munus illud demandatur, ad quas etiam spectat femoralia defunctis, & subuculam inducere (r). Sunt tamen qui viros viris lavandis, foeminas foeminis destinatas contendunt (s); sed priorem obtinuisse apud Judæos aequè ac Paganos consuetudinem, ex pluribus testimoniis convinci videmus. Socrates, antiquam cicutam biberet, corpus suum lavit, ut scilicet ejus lavandi post obitum labore foeminas relevaret (t). Supra inducium vestis alia brevior carbassita additur, quali utebatur veste defunctus ille, dum viveret, die Expiationis solemnissimum: additur & Taled, quadratus nempe pannus cum anfulis ad latera; ac tandem album quoddam capitis ornamentum. Tum feretro imponitur, cujus imus fundus linteo obducitur; addito etiam & altero linteo, quo totum corpus tegitur. Addunt nonnulli, comam defunctis abscindi solitam, antequam tumulo inferrentur (u).

De feretris, ornamentisque eorum, qui funus comitantur, non una est ratio. Si vir literatus obierit, Libris ornatur feretrum; si amplissimus aliquis vir, feretrum alicubi acutam exhibet formam. Interdum pullum aliquod stratum totum funus tegit. Tradunt veteri olim consuetudine servatum, ut defunctorum corpora pretiosissimis, & ornatis vestibus induerentur, cujus pompæ dispendio cum indigentes non sufficerent, solum vertere cogebantur (x). Sed, addunt, Gamaliel Doctor perniciosam consuetudinem abrogavit, constituens, ut corpus nonnisi lineo tegeretur: qui deinde mos adeo obtinuit, ut nec cum Regibus alia servaretur consuetudo; simplici enim obvoluti linteo tumulo inferebantur. Sed variant in ea re Scriptorum sententiæ: quæ prior proposita est, saniores habet eorumdem Scriptorum partem (y). Regum

O o o

ca-

p Salom. Ben Virge Sikebet Juda c. 292. Hac accusatio frequens legitur apud Authores, & Turca, auctor Pokokio, in ea sunt sententia, ut anima toto septimana spatio circa tumulum erraret. Not. Miscel. p. 250. q Ad. 9. 37. r Leo. Mode. Basnag. in loc. cit. s Baron. a. 34. ex Rab. Jacob, & Maimonid. t Plat. in Phædr. p. 215.

u Mos. Egypt. Halac. Ebel, c. 4. & Gejer de Luctu c. 5.

x Vid. Jo. Nicolai de Sepulchris. Hebr. l. 4. c. 10. y Menoch. l. 3. de Repub. Hebr. c. 5. 4. 3. Schikard. in Jure Reg. p. 417.



cadavera diademate redimita, & sceptrum tenentia mandari sepulturæ Schikardus animadvertit, reliquæ verò eorum vestes, quod nemini post eorum mortem illis uti fas esset, igni absumentur. Sed operæ pretium est lectores monere, hæc omnia nonnisi Rabbiorum fide in rebus vetustis suspensâ tradi. Narrat Josephus, in eodem cum Davide tumulo ingentes auri thesauros reconditos [z], qua in re Historici fides nutat. In funebri pompa Herodis Magni (\*), idem Historicus testatur, ad pompam & magnificentiam nihil reliqui factum fuisse; Regalia omnia ornamenta, exposita, cum ad tumulum cadaver inferretur, feretrum solido auro confitisse gemmis ornatum, velo purpureo auro ornato obductum cadaver, quod in lecto jacebat purpureâ veste amictum, cum auro diademate, & scepro. Legimus 2. Par. 16. 14. cadaver Regis Asa lectulo impositum fuisse aromatibus perfuso. Paria de lectis mortuorum legimus apud Veteres Romanos & Græcos: sed & plures ad augendam funebrem pompam lectos adhibitos fuisse, cum viri aliqui insignes ad tumulum ducerentur, scimus. Apud Rabbios lecti nomen usurpatur de feretro, quo corpus sepulture inferitur.

Servatum olim eundem in funere clarissimorum Doctorum apparatus, quem in Regum, comminiscuntur Hebræorum Doctores (a), nempe igni traditos eorum lectos, omnes vestes & utensilia, condita feris integumentis obvoluta cadavera; nihil tandem fuisse magnificentiæ, quod cum illis omitteretur. Sed vana tradidisse illos ex totius antiquitatis silentio suspicamus. Abarbanel ad 1. Reg. 2. alique nonnulli credunt, Samuelem pallio suo involutum sepulture mandatum fuisse; facile quod eâ veste amictus consulenti per Pythonissam Sauli apparuerit. Sed alii nihil tale factum tuentur, quod nefas esset hominem in Cana condere; utrumque equè vanum. Nihil enim de hac historia memoriæ traditum est. Quo habitu amicta Judæorum cadavera sepulture olim mandata fuerint, res est obscura; facile tamen idem apud illos mos, ac apud Ægyptios & reliquos ferè omnes populos obtinebat, ut lineo palliarentur. Docent ex Rabbis nonnulli [b], nefas esse hominem vestimento ex lino simul, & lana contexto obvolutum, condere sepulchro; id vetitum alii negant, cum viventibus quidem ea vestium ratio interdiceretur (c), pro defunctis verò nihil cautum.

Non latuisse etiam Hebræos usum condiendorum cadaverum, exemplis quibusdam docemur; quamvis nec vulgo recepta esset consuetudo, nec satis apud illos frequens. Josephus corpus Jacob parentis sui pro recepto in Ægypto, ubi decesserat, more condiendum curavit (d), idemque cum illo cæterisque Patriarchis ibi fato fundis servatum facile credimus. Fastus alibi prosequuti sumus, quo olim artificio cadavera salirentur (e), ut incorrupta manerent (f). Non defunt qui Regum Juda cadavera ita curari consuevisse asserant,

quod se intelligere credunt ex funere Regis Asa, cujus corpus aromatibus magnâ copâ sparsum pyra impositum fuit (g); cum vicissim Joram ejus Regis nepoti honorem illum populus denegaverit (h); Non fecit ei Populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus suis. Ferunt cadavera illa non prius imponi pyra consuevisse, quam condirentur, & aromatibus delibuta essent. Iisdem aromatibus delibutum scimus Jesu Christi cadaver, quod etiam idem Jesus Christus condiendum prædixerat, eâ scilicet occasione, qua Maria pedes illius unguento perfundebat (i). In usum sepulture ejusdem Nicodemus sibi comparavit centum libras myrræ & aloes; & mulieres ad sepulcrum venientes autumantur facile eo honore adhuc caruisse Jesu Christi cadaver, quod fortè Sabbati pervigilio id non licuisset; quare aromata necessaria secum deferenda curant. Tandem S. Joannes 19. 40. insinuat, vulgò apud Judæos eam consuetudinem obtinuisse, cum narrans historiam Josephi ab Arimathia, & Nicodemi, Christi corpus linteis quibusdam five inistis unâ cum aromatibus obvolvendum, subdit: Sicut mos est Judæis sepelire. Antonius Margarita narrat, quo primum ad cœmeterium corpus delatum est, in adicula quadam deponi; ubi vexati ovi liquore unâ cum vino admixto totum linitur; dein linteis consuevis obducitur. In capite tantum inungi consuevisse post abscissam defuncti comam, & antequam pheretro imponatur, Buxtorfius est author. Porro unctionem hanc ex veteri condiendorum corporum consuetudine mansisse facile crediderim; mansisse, inquam, tantum apud quosdam Germaniæ Judæos.

Cæterum condiendorum corporum apud Judæos ratio planè abluat ab ea, quæ in Ægypto obtinens apud Herodotum. 1. 2. c. 86. 87. 88. describitur. Totus condiendi corpus J. Christi apparatus erat oleum, & liquida quadam aromata, quibus perfusa inlita corpus stringebant. Hæc porro tanta non erant, ut corpus à corruptione & tabe servarent; sed continebant aliquanto, nec totum momento resolvi permittebant. Remissum aliquid fuisse ex hac consuetudine cum Lazaro facile credimus, cum quadriduanus fœterer (\*). Totum corpus, excepto capite, longis fasciis, qualibus pro infantibus utimur, obvolvatur; capiti verò ambiendo lineum quoddam veluti sudarium paratum erat. Legimus hæc omnia satis disertè in Evangelio, ubi de sepultura Servatoris (k), & Lazari resurrectione (l). His omnibus, fasciis nempe & sudario, super impositum dicunt linteum aliquod lineum, quod Evangelistæ Sindonem appellant (m), & nos Sudarii nomine designamus; Sudarii, inquam, cujus expressæ similitudines in pluribus Ecclesiis servantur.

Longè alia curandi corpora mortuorum obtinet apud Judæos nostri temporis consuetudo, quemadmodum facile ex collatione eorum, quæ supra à nobis fusè ducta

## De Funeribus &amp; Sepulturis Hebræorum. 475

ducta sunt, intelligimus. Contingit non raro, ut fasciæ illæ pretiosæ & ornata, quibus Legis volumina obducuntur, cum vetustate fuerint detrita, in usum mortuorum adhibeantur (n). Sed hæc rara sunt, & usus fasciarum nostrâ ætate indefunctis nullus est, siquidem (quod maxime animadvertendum est) Judæi nostræ ætatis de veteribus consuetudinibus decesserunt, quo magis magisque se variorum locorum usibus accommodarent.

Defunctorum corpora aliquo temporis spatio exposita relinquebantur, antequam sepulture inferrentur. Abraham funus Saræ curavit, locum sepulture à filiis Heth soluto pretio emit, hisque peractis tum demum corpus conditum est (o). Corpus Jacob 70. dierum spatio circiter retentum est, antequam in Chanaanidem ad tumulum avitum deferretur (p). Tabithæ cadaver lotum prius in conclavi solarii superioris expositum detinebatur (q). Solebant interim coram exposito corpore lamentationes & ploratus ingeminari, quorum frequens est in S. Scriptura mentio. Hæc tamen in funeribus solemniori ritu celebratis; frequentissime defunctorum corpora actutum sepulchro condebantur. Ananias ante pedes S. Petri exanimis concidens (r), statim tumulo illatus est; quod etiam cum Saphira ejus conjuge servatum, quæ post tres à viri obitu horas simili cum illo fato interit (s). Emortualem sovesam condendo summo diluculo cadaveri junioris Tobia paraverant (t). Hodie etiam apud Persas cadavera statim sepulture mandari idè servatur, quod statim tumescant, & corrumpantur (u). Eodem ferè instanti quo filia Jair decesserat, cum musicis instrumentis cantores, ad pompam sepulture acciti sunt. Qui sibi necem intulissent, ad horrorem criminis demonstrandum, sepulchro nonnisi post solis occasum inferebantur, teste Josepho de Bello 1. 3. c. 14. Idem servatum cum fontibus, Judicium sententiæ capitali supplicio damnatis (x). Proximiores Defuncti confanguinei altiores emittebant voces, & ejulatus, tundeant pectus, evellebant crines, scindebant vestes, corpus incidebant, & cinerem affidentes caput pulvere inspergebant. Falso nuncio de obitu filii Joseph ad Jacob delato, statim miserrimus pater ejulare, abscindere vestes, induere cilicium, & diuturniorem luctum trahere (y). Ne quid simile in obitu Confanguineorum præstet Summus Sacerdos, ne scilicet abscindat vestes, & luctum cuiusquam agat, Moisaicâ Lege cautum est Levit. 21. 10. 11. cautum & vulgaribus Sacerdotibus, ne comam vel barbam radant, neve incisiones faciant in funere propinquissimo (z).

Cæteris nihil eâ de re cautum, nisi tantum, ne quid audeant simile in superstitionibus Adonidis, quod Numen de ridiculo appellatum est, mortuum (a): Super mortuo non incidetis carnem vestram. In reliquis igitur funeribus nullam doloris significationem alienam à se arbitrabantur Judæi. Deventuros Judæos in ultimas an-

gustias oraculo prædicens Jeremias 16. 6. inter cætera minatur futurum, ut nullo ætatis & sexus discrimine passim perimantur, priventurque dein honore sepulture, à nemine eorum funera curentur; nullum fore, qui corpus incidat, qui crines evellet in eorum funeribus legendis. Familiaria erant hæc omnia apud Tyrios [b], Moabitas, Ammonitas, nec infrequentia. Judæis: Omne caput calvitium, ait Jeremias ad Moab (c), & omnis barba rasa erit, in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium. Has incisiones sibi vetitas ex verbis Legis jam à nobis laudatis Judæi nostrates arbitrantur. Idem legendorum funerum apparatus apud Herodotum 1. 2. c. 85. 86. cum de Ægyptiis agit, describitur. Cum vir aliquis non è vulgo obierit, omnes è familia femine caput & vultum pulvere foedantes, Urbem ejulantes discurrunt; rectum habent vultum, pectus nudatum, quod identidem tundunt; magno verò propinquorum satellitio comitate prodeunt in scenam. Interim viri ex alio Urbis latere discurrunt, pectus nudatum percutiunt, altè ejulantes, casum familiæ suæ miserabiliter lamentantur. Cessant cum primum mortuus in feretro deponitur.

Cum igitur ad tumulum deferendi corpus hora advenerit, propinqui & amici omnes ad pompam funebrem accurrunt. Ita deducendo Jacob ad tumulum non familiares tantum, sed & domestici, Satrapæ aula Pharaonis, & Optimates Ægypti convenerunt [b]. Lugendo funeri Abner jussu Davidis exercitus omnis abscissis vestibus, sacco indutus, & altè ejulans pompam funebrem sequebatur (i). Nec David ipse absuit, defuncti laudes pro concione celebrans. Celebravit etiam & laudes Saulis & Jonathæ scripto in eam rem lugubri Cantico (k); laudavit studium civium Jabes Galaad, qui id commiserunt, ut è mediis hostibus subducta corpora illorum Principum, regali tumulo juxta suam Urbem decorarent (l). Vidua Naim unâ cum frequenti populo filii sui funus sequebatur (m). Arcentur ex doctrina Rabbiorum à funebri pompa defuncti adversarii; adduntque Talmudistæ (n), Jacob in ipso mortis limine filios suos onerasse mandatis, ne Gentiles ad defunctum corpus suum accedere permitterent, metu ne Dominum arcerent. Quoad hostes, excludendos edicunt, metu ne in manes defuncti aliquid intentarent. Curari jubent, ut in pedes cadaver efferatur.

Vix è domo educto cadavere, culcitæ omnes replicantur (o), volumenque è stragulis factum super stramineam culcitram abjicitur, additur & incensa lampas ad lecti caput, quæ totâ hebdomadâ luctus ardet. Tum lecti omnes domus prostrati (p). Hæc tamen alii præstanda edicunt cum primum cadaver effertur, alii verò cum fossa aggestâ terrâ æquatur. Addit Buxtorfius, servari solitam quibusdam in locis hanc cæremoniâ, ut contra elatum ex æde cadaver fictile vas projiciatur, quod in solum decedens confringitur, quasi sci-

b Ezech. 27. 28. 32.

c Jerem. 48. 37.

h Gen. 50. 7. .... 11. 12. Reg. 3. 31.

k 2. Reg. 1. 17. &c.

l 2. Reg. 2. 4. 5.

m Luc. 7. 11. &c. n Bera'schit. Rab. sect. 100.

o Leo Moden. p. 4. c. 9.

p Geier. de Lu. du Hebr. c. 18. ex Maimonide.

z Antiqu. l. 16. c. 11. \* De Bel. l. 1. c. ult. ad fin.

a Abo's azara c. 1. fol. 11.

b Vide Baf. nag. Hist. Jud. l. 7. c. 24. n. 9.

c Deut. 22. 11.

d Gen. 50. 1. &c.

e In Comment. ad Gen. 50.

f Schachbuz Sacror. Eleo. ebism. Mirio. thecia &c.

g 2. Par. 16. 14.

h 2. Par. 11. 19.

i Matth. 26. 12.

o Gen. 23. 3.

p Gen. 50. 3.

q Act. 9. 37.

r Act. 5. 6.

s Act. 5. 10.

t Job. 8. 13. 14.

u Chardin Iter Persic.

x Deut. 21. 13.

y Gen. 37. 34.

z Levit. 21. 5.

a Levit. 19. 28.

\* Jo. 11. 39.

k Jo. 19. 40. & 20. 5. l Jo. 11. 44.

m Matth. 27. 59. Marc. 15. 46. Luc. 23. 53.